

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ΚΩΟΥ ΑΦΟΡΙΣΜΟΙ

Id est,

HIPPOCRATIS COI APHORISM.

ANTONII MVSÆ BRASAVOLI
COMMENTARIVM



N H A C inscriptione opus non est, de Hippocratis uita, moribus & conditione quicquam differere, quoniam à Galeno in varijs locis explicatur, à Suida & ex Sorani historijs facile sumi potest. Nec opus est dubitare, cur Coi dictum sit; nam eius patria hoc nomine denotatur, quæ in Thesalia est; ad aliorum quorūdam antiquorum differentiam, qui & ipsi Hippocrates uocati sunt. An uero Hippocrates Cous is fuerit, qui hunc librum componuerit, nonnulli dubitarunt, & alium fuisse testantur. Alij in templo Apollinis inuentum fuisse fabulantur. Nos ab alio quodam authore ex Hippocratis libris collectum iudicare mus: quoniam nullus est ferè aphorismus, quem in Hippocratis operibus inuenire non possumus, nisi summū uiri, & inter alios Galenus tam cōstanter ab Hippocrate Coo editum esse testarentur. Id uero sp̄eculatione dignum offertur, cur hic liber Aphorismi in scriptus sit, & uerè ac proprie quid hoc nomine Aphorismus significetur. ἀφορίσμα apud Græcos diuido est atq; separo, & ἀφορισμός diuisio & separatio est. Propterea non imerito Arabes quidam Aphorismos, librum Diuisorum sermonum nuncuparunt, ut Mesue in libro De consolatione medicinarum fecit. Ita uero de aphorismi ratione disseruit Philotheus: τι δέινον ἀφορισμός; ἀπόκειτος ἀφορισμός δέινον λόγῳ σωτηρίᾳ, ἀποτελεῖ δέ διάγονον ἀπαρτίζων. οὐδέ τὸν πεφοραν ποιεῖ τὸν φεραντιμονίῳ, πλουτῶν δὲ τοῖς εὐθυμημασι, πόδεν ἔχοντας ἀφορισμός; οὐδέ τὸ ποδοειδέστα τὸν αἴσθετον τὸν σώματα ἀφορίσματα δέ οὐδὲ διαδασταὶ ἐπονοῦνται ποτε αὐτοῖς οὐδὲ μετ' αὐτοῖς. Id est, Quid est aphorismus? Responso. Aphorismus est sermo concisus per se plenam sententiam perficiens; uel sermo per enuntiationem, uel per locutionem pauper, diues autem sensibus. Vnde dicitur aphorismus: ab eo quod est circumscribi in ipso morbum. Diuiditur autem atq; distinguitur ab his qui ante ipsum sunt, & ab his qui post ipsum. Oribasius eodem modo Aphorismum definit. At si secundum Galenum huius uocabuli uim exprimere tentemus, ea considerare oportet qua ipse medio ferē commētationis primi aphorismi primi libri, huius doctrinæ formam docens, scripta reliquit, ubi inquit, forma doctrinæ aphoristica omnes rei proprietates quam breuissimis uerbis circunscribit. Verba Galeni hæc sunt, ὅτερες εἰσὶ βεβαγμένα τὰ τοῦ προληγματοῦ ιδία τοῦ προληγματοῦ. Vnde aphorismus omnes rei (de qua scilicet loquitur) proprietates dicit quam breuissimis uerbis. Propterea aphorismi ratio in hoc non conficit, quod sermo sit diuisus & separatus; sed quod breuissimis uerbis rei proprietates circumscribat. Idem in fine illius partis animaduertit Galenus, immo hoc uerum esse aperte demonstrat supra aphorismum quartum decimum primi libri. Id est post medium commenti, quum enim Hippocrates dixisset, Qui crescent plurimum habent caloris innati; Galenus de puerorum calore & iuuenium abunde differit, & eorum differentiam ostendit. At ne quis Hippocratem reprehendat, utpote qui de his mentionem non fecerit, inquit, Hippocrates igitur quum hoc in libro proposuisset compendiosam & aphoristicam doctrinam facere, non ita sermonē ampliavit, ut ego nunc. Quibus uerbis manifester elicitor, doctrinam aphoristicam in breuitate cōsistere, & non in hoc quod sit sermo separatus. Hoc idem ab eodem Galeno ostenditur uigesimali octauo aphorismo secundi libri, ubi dicitur, febricitanti non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, uel etiam magis quam ratio postulat, contabescere malum: Galenus in commento inquit, Melius autem fuisset, si hoc quod ait, magis quam ratio postulat, quibus finibus iū dicetur, aperiuerisset. Sed quia doctrinæ modus est aphoristicus summam sequens breuitatem, nos exponentes uerbum secundum rationem ad febris magnitudinem referemus,

& reliqua. Ex quibus manifestum est, aphoristicam doctrinam penes breuitatem considerari. Quod luce clarius ostenditur libro quarto, aphorismo quadragesimo septimo, ubi Hippocrates inquit, Excretiones in febribus non intermittentibus iuvidæ, cruentæ, sœtidæ, omnes malæ & biliolæ: & si bene exeunt, siue per alii excretionem, siue per urinas, bonæ: si uero non aliquid eorum quæ iuuant per hæc loca excernitur, malum. Galenus in principio huius Aphorismi Hippocratem reprehendere uidetur, inquiens, Forte conueniens fuerat doctrinæ aphoristicae dici compendiosius, omnes prauas excretiones quum bene exeunt, ad bonum terminari. Ex quibus uerbis manifeste colligi potest, doctrinam aphoristicam in breuitate potius confistere, quam in sententiarum separatione. Idem potest ex Galeno aphorismo sexagesimo quarto libri quinti confirmari, ubi Hippocratem reprehendit, qui aphoristicam breuitate non seruauerit. Idem Galenus in commentarijs quarti libri De ratione uictus in morbis acutis, sectione decimanona, miratur cur sermo ille non sit inter Aphorismos positus, quum in paucis uerbis uis magna reperiatur, quod aphorismis usu uenire solet. Quod testimonium esse potest, aphoristicam doctrinam in breuitate confistere. Eo adhuc addito quod in sexto De simplicium medicamentorum facultatibus capite primo dicit, in aphoristica doctrina conceditur, ut multa concise dicantur. Ex his igitur cum Galeno dicamus, aphoristicam doctrinam sermones omnes atque sententias breuissime complecti, qua totam rem de qua agitur, explicant: & aphorismum sermonem illum esse, qui breuibus sententiam uniuersam de qua agitur, explicat. Habet igitur cur hic liber, Aphorismorum liber nuncupetur, quia uniuersam artem medicam breuissimis uerbis complectitur. Propterea illud scire oportet, quæ ab Hippocrate octoginta uoluminibus extenduntur atque explicantur, in hoc uno breuibus comprehendendi. Nam nullus est in hoc libro Aphorismus, qui apud Hippocratem in alijs libris non inueniatur; unde hic liber est omnium librorum Hippocratis epitome, & ueluti enciridion, ut inter legendum uidere licebit. Oribasius uero huius doctrinæ modum quadruplicem facit, inquiens: Modus doctrinæ si queritur est quadruplex: intellectualis, complexorius, diuidens & diffinitius. Intellectualis dicitur, eo quod intellectu, id est contemplatione, tam virorum quam mulierum ægritudines exequatur, & consideret. Complexorius, quod omnia complectatur, seu comprehendat, nihilque relinquat. Diuidens, eo quod corpus humanum in partes diuidat, earumque ægritudines particulatum declarat. Definitius, quod cuncta definiat, recteque determinet. Habent quoque hunc ordinem, ut prior sit intellectualis, deinde complexorius, inde etiam diuidens, ad ultimum definitius. prius enim rem intellectu tenemus, post uero intellectam, sicut est, totam complectimus. Inde etiam ac si per intellectum comprehensam diuidimus, ad ultimum autem comprehensione diuisam definitimus & determinamus. Hæc Oribasius. Reliquis autem quæ à recentioribus disputantur omisssis, & quæ lectorem potius onerant, quam instruant, ad Hippocratis sententias exponendas descendemus.

Hipp.